

Biogr. erud.

D. 1648, 21

Vitt. Ercell. fong. — Vol. 9.

M E M O R I A

V I R I

MAGNIFICI EXCELLENTISSIMI EXPERIENTISSIMI
AMPLISSIMI

D. SAMVEL. THEODORI
QVELMALZII

HAEREDITARII IN *Salß*, MEDICINAE PROFESSORIS
PVBLICI PRIMARII ORDINIS MEDICORVM DECANI
PERPETVI ACADEMIAE DECEMVIRI
COLLEGII MAIORIS PRINCIPVM COLLEGAE

Q V A M

LAVDATIONE ANNIVERSARIA
IN ACADEMIA LIPSIENSI

D. X. FEBR. A. C. N. C I D I D C C L V I I I I I.

PVBLICE AC PIE RECOLVIT

CAROLVS CHRISTIANVS KRAVSE
PHIL. ET MED. D. FACVLT. MED. ASSESSOR.

ΙΗΤΡΟΣ ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ ΙΣΟΘΕΟΣ.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

V I R O

PRAECELLENTISSIMO AMPLISSIMO
PRUDENTISSIMO

IOANNI GOTTLOB
ATTENBERGERO

POTENTISSIMO POLONIARVM REGI SAXONIAE ELECTORI
A CONSILIIS COMMERCIORVM ETC
HAEREDI QUELMALZIANO
FAVTORI AESTVMATISSIMO

S. P. D.

D. CAROLVS CHRISTIANVS KRAVSE.

Gum nuper admodum Medicorum Ordo memo-
riam Quelmalzii TVI, VIR PRAE-
CELLENTISSIME, oratione anniuer-
saria recolendam esse statueret, mibique prouin-
ciam eam decerneret; delatum munus in me suscipere
non multum dubitavi, magis sane grato in virum meritif-
simum animo et in Collegas coniunctissimos obsequio com-

A 2

pulsus,

pulsus, quam consilio et ratione ductus. Nunc supremo
hoc in Quelmalzium officio perfunctus equidem sum; re-
ctene an perperam, dicere non ausim. Quem ad modum
enim deforme est, de se ipso honorifice, serio quidem, prae-
dicare; ita de se suisque plane contentim palam po-
pulo loqui, hominis est, meo iudicio, infelicissime sapi-
entis. Quae quamvis satis vera existimem, non perinde
tamen intellecta velim, quasi ingenii foetus in lucem edi-
turis, facti sui rationem modeste exponere, non liceret.
Itaque cum voluntati TVAE, VIR HVMANISSI-
ME, morem geram, laudationem hanc doctorum homi-
num oculis subiecturus; modestiae laudem me servaturum
spero, etiamsi tantam mihi audaciam fatear existere cum
ex pergrata memoria, qua nomen et merita Quelmalzii
nunquam non prosecuturus sum, tum et potissimum quidem
ex benevolentia, minime vulgari illa, qua tot summi gravif-
simique vivi me orantem non modo benigne ac perhumani-
ter

ter

ter tolerarunt, verum etiam attentissime audierunt. Nisi enim Auditorum fauor insignis ille, quem profecto in permagna felicitatis meae parte pono, animum adderet; nec memoria Quelmalzii, nec voluntas TVA, quarum unaquaeque alias plurimum apud me valet, tantum a me unquam impetraret, ut et Quelmalzii et mei nominis estimationem in aleam darem prorsus dubiam. Iam vero, quanquam ego non ita arroganter de me meisque sentio, ut, quicquid fauoris oranti obtigerit, sermonis suauitati orationisue ornatui tribuam, ut potius Quelmalzii memoriae, quae omnibus Academiae nostrae Proceribus et ciuibus aeternum sancta erit, maximam partem relinquam, aliquam etiam admirationi oratoris nouitii, eiusque pene temerarii, assignem; fit tamen, nescio quomodo, ut mihi subnascatur persuasio, orationem ipsam, licet minime ornatam, quodammodo tamen aptam, h. e. loci temporisque rationi laudandique dignitati ac meritis accommodatam visam fuisse,

hinc confore, ut, quae causae auditores fecerint beneuolentissimos, eadem lectorum etiam gratiam fauoremque mihi concilient. Hanc ob spem in publicum prodit oratio, in qua styli sublimitatem sequi nolui, arbitratus, alio dicendi genere utendum esse, si Reges, belli Duces aliosue in summum honoris fastigium euectos, alio, si eos laudamus, qui litterarum studio aetatem consumserunt. Non falsas autem laudes Quelmalzio a me effictas esse, nemo TE rectius iudicabit. Et si quid forsitan uspiam peccatum sit, desiderio Quelmalzii peccatum esse, omnes velim existiment. Orationem vero, Quelmalzii memoriae iam sacram, nomini TVO, FAVOR HONORATISSIME, consecratam volo, quod et ipse ab his litteris non alienus es, et sumtus liberaliter suppeditasti, denique iustae tibi sic videbuntur preces, quibus abs TE enixe peto, ut me eodem, quo olim Quelmalzius, amore et fauore complecti velis. Ita vale!

Scribebam Lipsiae d. XII. Febr. A. C. N. c I 5 I 5 c c LVIII.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE
MAGNIFICE

COMES ILLVSTRISIME

VIRI SVMME REVERENDI MAGNIFICI

ILLVSTRES EXCELLENTISSIMI CONSVLTISSIMI
PRAENOBILISSIMI EXPERIENTISSIMI

AMPLISSIMI CLARISSIMI DOCTISSIMI

PATRONI COLLEGAE FAVTORES
OMNI OBSERVANTIA COLENDI

COMMILITONES GENEROSISSIMI HVMANISSIMI
AMICI DILECTISSIMI



Non paucos Vestrum valde mirari arbitror,
quid ego in animum induxerim, vt huc
prodirem concionemque ascenderem, ce-
lebraturus, vti publice iam pollicitus sum,
laudes SAMVELIS THEODORI
QVELMALZII, qui hoc ipso die huius mensis anni
proxime elapsi ereptus nobis atque vniuerso orbi litterato
est, nunquam rediturus; perinde quasi QVELMAL-
ZII, viri, dum viueret, doctissimi, medici rerum suarum
peritis-

peritissimi, artis medicae professoris consummati, de hac nostra Musarum sede optime promeriti, ac post fata bene merentis, aeternumque demerituri memoria ita iam iam ex Vestris aliorumque bonorum animis deleta esset, aut etiam obliuione sempiterna deleri vnquam posset, vt laudatione hac anniuersaria eam recoli posterisque prodi necesse foret.

Addo etiam, esse nonnullos, quamuis eos neque multos neque Vobis, Auditores omnium Ordinum Honoratissimi, similes esse sperem, qui totum hoc, mihi saltem laudabile visum institutum, quo eodem medicorum Ordo Collegis desideratissimis, in Coelitum numerum receptis, parentare solet, iudicio parum aequo ornare, idque ideo improbare soleant, quia tempus irreparabile, magisque frugiferis negotiis impendendum, eripi hoc modo nobis videretur.

Denique eorum, qui, vnde ego sim, non ignorant, nemo quisquam, siue paulo aequior, siue iniquus fuerit rerum aestimator, facile ignoscet medicorum iudicium ac delectum, quo sui doloris animique interpretem in hunc ornatissimum locum hodie producere me potissimum voluerunt, me scilicet, qui, cum neque ingenii felicitate commender, neque bene dicendi facultate polleam, quam mihi comparare pro hac ingenii tenuitate studiorumque ratione non potui, nec doctrina denique satis instructus sim, non tam ad celebrandas et illustrandas *QVELMALZII* laudes idoneus, quam ad easdem
obscu-

obscurandas datus electusque esse, forte videri poteram. Atque horum quidem non iniquis obtreccionibus, sed veris ac iustis querelis, qua possit occurri ratione, non ego, sed Vos, Collegae Honoratissimi, videbitis, qui has, quae sunt doctiorum, a rhetoribus bene institutorum et nauiter exercitatorum, partes mihi dedistis, homini indocto, in rhetorum scholis nunquam connutrito, in hoc litterarum ac studiorum genere antehac nil quicquam experto, ac praeterea quoque animi sensa parum polite eloquenti. Ego enim, tenuitatis meae probe gnarus ac memor, si vellem ipse deprecari mali panegyrici culpam, vereri deberem, ne plures sederent Catones, ad culpae deprecationem iure meritoque illud responsuri, quod olim, A. Gellio Auctore, M. Cato Albinus respondit, cum A. Albinus orationis graecae eiusque non bonae culpam deprecatus esset: Nae tu, inquit ille, Aule, nimium nugator es, qui culpam maluisti deprecari, quam culpa vacare.

Sed quem ad modum iis, qui de insuauis, quin aspero, oratoris infacundi fermone, iure quodam suo, conqueruntur, nos, qua decet modestia et facilitate, quae volunt, lubenter concedimus; ita fane illos, qui hanc ordinis nostri aduersus Collegas, vita defunctos, pietatem, iisque parentandi consuetudinem nullo modo probant, verum tanquam inutilem, vel nocituram etiam, animosque docentium discentiumque a seuerioribus studiis ac negotiis auocantem et ad aliena distrahentem contemnunt, in maximarum rerum ignoratione versari arbitramur. Aut enim nihil omnino vident, aut certe exi-

B

guum

guum admodum humanitatis sensum produnt, qui, etiam si non possint dubitare, quin hominis mortem lugere humanum sit, hominis tamen, commodo publico bene consulentis, mortem publice quoque lugendam esse, non intelligunt, aut ne admoniti quidem fatentur ingenue. Iam quis est, qui in dubium vocare possit, hominem, quem in arte medica, tot taediis, molestiis ac periculis plena, diligenter facienda, fideliter ac publice docenda, studioseque augenda, omne tempus ac studium, omnes curas, vigilias, labores collocasse nouit, bono publico optime consuluisse? quis eundem, rebus humanis ereptum, summis laudibus ac publico luctu indignum iudicare sustineat?

Deinde, si dicendum, quod res est, rigidi atque austeri illi morum censores humanae vitae naturaeque historiam et conditionem parum cognitam perspectamque habent. Quanquam enim virtutem per se expetendam atque amplectendam strenueque exercendam esse non modo non negamus, sed seuerius etiam praecipimus; trahimur tamen omnes laudis studio, ita, vt, quo quis melioris et excellentioris animi est, eo magis, et spe gloriae propofita ducatur, et homine, laudes ac vituperationes iuxta habente, abiectius excogitari fingique nil quicquam posse putet. Quod cum viri sapientiae studiosi, ac generi humano bene cupientes, recte animaduertissent, atque simul humanae mentis indolem, dolendam illam quidem, quippe qua fieri solet, vt ad virtutem sponte ac strenue exercendam aegerrime ducatur quisque mortalium, non absque magno animi dolore obseruassent; inde

ab

ab antiquissimis temporibus putauerunt, ad virtutis et sapientiae studium homines, laudibus aliorum propositis, exhortandos esse, vt similibus laudum stimulis atque igniculis concitati, similibus quoque virtutum desiderio inflammantur, aut, eo iam incensi, ad quaeuis laudabilia ferri nunquam desinant. Atque illa laudis et gloriae cupiditate ita profecto tenetur animus optimi cuiusque, vt non exiguo vitae, fluxae et fragilis, curriculo terminatam nominis sui commemorationem desideret, sed ad eius perennitatem hiet adspiretque mundi perpetuitati exaequandam. Qua propter homines, laudis et immortalis nominis dulcedine capti, tot duris sese frangunt laboribus, tot noctes infomnes ducendo impallescunt et emarcescunt, tot curis agitantur lacerantur consumunturque, tot denique ac tanta vitae pericula adeunt, vt praeclari facinoris aut artis doctrinaeque excellentioris famam consequantur, sui que nominis monumentum perficiant absoluantque egregium omnique aere perennius. Ex quo quidem hominum genere imprimis litteratos ac studiis doctrinisque deditos esse, nemo vestrum nescire potest, Litteratissimi Auditores.

Quae cum ita sint, dubitare nullo modo possumus, quin homo ex vita discedens, ab iis, quos sibi obstrictos putat, et animum omnino gratum velit, et famam quoque sui que existimationem saluam, nominisque celebritatem perpetuitatemque. quoad eius fieri potest, factam tectamque conseruari cupiat. Id quod paulo etiam luculentius intelligi ex eo potest, quod sanae mentis nemo facile quisquam, ex vita migraturus, eum, quem in

vita quidem obsequiosum, sui que obseruantem habuit, post mortem vero contraria omnia facturum certo prospexit, haeredem instituet. Quae quidem opinio tantum valuit apud sapientissimos legum conditores, vt lege cauerint, ne haeres institutus, si ingrati erga testatorem demortuum animi coargutus conuictusque fuerit, haereditate dignus iudicaretur. Hanc igitur omnium bonorum ea in re consensionem putemus nos naturae vocem legemque, ita alte menti humanae impressam, quam omnes philosophi disputationibus et declamationibus, quas de contemnenda nominis immortalitate habent, tollere ac supprimere nunquam possint. Praeterea, si forte aliqui fuerunt, qui, vt scilicet aliis modestiores viderentur, omnem nominis sui commendationem, posteritati tradendam, seuerius interdicerent, in ea ipsa modestia eoque laudis contemptu lauream ac gloriam quaesuisse merito existimantur.

Sed hominis, de commodo publico bene promeriti, mortem publico luctu prosequi, eiusque laudes celebrare, quo magis aequum, iustum atque vtile iudicandum est, tanto magis Vobis, Auditores, mirum videbitur, quid sit, quod, cum alii etiam doctorum virorum ordines Academiam hanc nostram ornent, medici potissimum hanc aduersus Collegas, vita digressos, pietatem sibi quasi propriam vindicauerint, qui propter artem, quam profitentur et exercent, ad aliorum mortes ac dolores obduruisse, humanitatemque quodammodo exuisse plerisque videri solent. Quid igitur? An medicorum Ordini mihi que adeo ipsi inuidiam imprudenter parem?

Minime

Minime gentium. Sed ob id ipsum, credatis, Aequissimi Auditores, publica hac doloris testatione opus habuisse medicorum Ordinem, vt humanitatis sensum ostenderet, et gratiam fauoremque apud eos, qui e Collegarum defunctorum amicis familiisque superstites sunt, mereretur, eoque ipso illam a se artisque cultoribus suspicionem amoueret calumniamque effugeret, ac titulum gratiosi Ordinis, quo honorari salutarique solet, iure, quo fieri poterat, optimo tueretur.

Sed quo demum animi dolor me perduxit perturbatum!

Amisi patronum prorsus eximium, praeceptorem promptum facilem et fidelem, promotorem, qui ad aliorum fere inuidiam commodis meis inuigilauit; amisi fautorem haud vulgarem; amicum denique amisi, qui me non modo dilexit, sed quoque adamauit.

Dolori huic meo, rogo, Auditores, condonetis errorem illum, si is quidem verus error est, in quem incidi, laudaturus QVELMALZIVM. Cum enim aperit aduertissem, plerisque aliis ante me in more positum fuisse, vt in exordiis auditorum fauorem captarent, aut excusandi causas comminiscerentur, aut orationem, quae rerum hominumque dignitati et conditioni responderet, inuentu difficilem esse, aut eius modi quid prae se ferrent; Vos, Humanissimi Auditores, eandem mihi daturus esse veniam eo confidentius speraui, quo certior eram de singulari vestra humanitate ac benignitate, et quo firmiter persuasum mihi erat, non tam priuatam meam, quam communem totius ordinis, cui ego quidem

XIV

iam interpres electus sum, ipsiusque adeo QVELMALZII, causam praelocutione illa perorari, eademque simul viam quodammodo commonstrari, quae et mihi nunc ingredienda sit, et aliis, me indoctioribus, idem olim in se munus suscepturis.

Vtinam vero viam eam non modo ingredi, sed quoque, et cum laude quidem, persequi pertenuitatem ingenii liceret! Quod quanquam natura, parum in me benefica, plane non permittit, Vestrae tamen, Rector Academiae Magnifice, Comes Illustrissime, Auditores omnium Ordinum Honoratissimi, singulari humanitati et benignitati aequissimoque vestro iudicio, denique QVELMALZII meritorum memoriae omnibus pergratae, confidens, morem geram voluntati et Collegarum expressae et tacitae QVELMALZII, prouinciam in me suscepturus eo magis mihi commendabilem, quo propius egregias viri summi virtutes contueri datum fuerat, et quo diligentius meritorum, quibus inclaruit, dignitatem animo mecum perpendere soleo. Atque adeo QVELMALZII vitam, studia et instituta, quamuis languide et sine vlllo animi vigore, vt lugentes decet, ita tamen enarrabimus, vt ne antea dictorum plane immemores esse videamur. Adeste igitur auribus, fauete linguis, otia vestra haud diu moraturo!

Natus est QVELMALZIVS noster die vndecimo Mensis Maii anni aerae vulgaris millesimi sexcentefimi nonagesimi sexti, Fribergae Hermundurorum, quae est vrbs Marchionatus Misniae, et loci amoenitate et venarum metallicarum vbertate pernobilis. Patre vsus est

SAMVE-

SAMVELE ANDREA, viro non illiterato, et Senatoria dignitate conspicuo, qui QVELMALZIVM filium suscepit ex coniuge, BARBARA IUSTINA, lectissima foemina, DANIELIS LINDNERI, Senatoris Fribergensis filia. Patrem amisit annos sexaginta novem natum anno huius seculi duodevicesimo. Auum paternum habuit SAMVELEM, artis medicae Doctorem peritissimum et Poliatrium Fribergensem, seculi proxime elapsi anno sexto et octogesimo vita digressum, anno aetatis septuagesimo primo. Proavus paternus fuit ANDREAS, liberalium artium Magister, Gymnasii Fribergensis Conrector, duplici laurea coronatus Poeta Caesareus, seculi decimi septimi anno sexto et decimo vita defunctus; cui pater fuit MARTINVS, apud Coldicenses Minister ecclesiae. Ex maioribus fuisse videtur WENCESLAVS QVELMALZIVS, vir ipso fortasse Scipione iustior et militarior, qui sub CAROLO Quinto, Romanorum Imperatore, triginta stipendia expleuit, Centurionis gradum adeptus est, et S. R. I. Ordini Equestri a CAROLO adscriptus, cum propter singularem pietatem, tum ob virtutem bellicam, qua innumeris in locis, imprimis tamen in expugnatione vrbis Romae, et pugna, nobilissima illa, ad Ticinum, Papiam hodie vocant, pugnata, inclaruit, eaque de re Imperatori magnopere commendatus fuit.

Ecquid autem? Num gentis QVELMALZIAE genealogiam contexere est laudare QVELMALZIVM? Non is ego sum, qui, quid inter vtrumque interfit, plane ignorem. An igitur antea dicta iam ex animo exciderunt?

derunt? Ne in hoc quidem vitio sum, ut, quae dixerim, stante pede obliuiscar. Quid igitur causae fuit, cur QVELMALZII maiores tam longe repetendo recense-rem? Omnes illos non modo antiquae fidei et summae grauitatis viros, sed et verae in Deum pietatis, quanta qui- dem in homines cadere potest, et rei christianae ingenuos cultores, fuisse, plane compertum habeo. Dicit non pot- est, Auditores, quam varie commotus fuerit animus, cum illustria pietatis documenta, quibus gens QVEL- MALZIA commendari potest, paulo studiosius in- dagarem. Modo enim summa iucundissimaque vo- luptate affectus sum, cum virtutis indicia eiusmodi in iis animaduenterem; modo rubore perfusus et vehe- menter contristatus ex seuera et ingrata cogitatione, me ad illum, quem SAMVEL QVELMALZIVS, auus nostri, attigit, pietatis gradum peruenire nondum po- tuisse; mox ingenti summae omnium virtutis desiderio inflammatus, continere me non potui, quin virorum tam piorum memoriam hodierno die recolerem, et, quan- tum in me erat, conseruarem, atque simul Vos, Patro- ni et Collegae Honoratissimi, summo virtutis et sapien- tiae amore flagrantes venerandosque admirarer, Vos vero, Ornatissimi Commilitones, partim ad virtutis studium co- hortarer, partim in eo confirmarem.*)

Praeterea

*) GENTIS QVELMALZIAE, inprimis SAMVELIS illius, erga Deum pietatem vniuersa ciuitas Fribergensis hodieque cele- brat; vid. Freybergische Jubel-Acta siue Nachricht von dem den 17ten Febr. 1743. begangenen Befreyungs-Jubel-Feste der Stadt Freyberg. Ex manuscriptis memorabile in primis est cur- riculum

Praeterea vero pietas illa auita ideo commemoranda erat, quoniam fixa parentum animis altiusque radicata id boni QVELMALZIO nostro attulit, vt cura diligentiori educaretur, et statim a pueritia optimis praecepto-ribus cum priuatim tum in Gymnasio patrio publice do-centibus traderetur, ad disciplinam religionis christianae purioris, artesque liberales instituendus. Quibus is ita operam dedit, vt iam tenera aetate non solum summam spem et expectationem, quam de eo omnes concepe-rant, incredibili studio superaret, sed insecuto etiam tempore virtutis, quam christiana religio praecipit, amo-rem non modo non minueret aut deponeret, sed quoti-die magis magisque augetet, omnibusque litterarum stu-diosis exemplo esset. Litteris doctrinisque, quibus aetas puerilis impertiri, nostratium more, solet, probe imbu-tus, seculi huius anno sexto et decimo ad Academiam hanc nostram accessit, in qua omnibus scientiarum ar-tiumque doctoribus, quibus se instituendum concredidit, se totum et suauitate et integritate morum, animum vero discendi auidum mirifica docilitate laborumque patientia ita probauit, quam qui maxime.

Est sane, Auditores, in hominum animis insita vir-tus quaedam, impellens eos ad imitationem eorum, quae in aliis saepius contemplati sunt, vel de quibus frequen-tius audiuerunt. Quae quanquam in pueris, hominibus ple-

riculum vitae, quod SAMVEL triginta ante mortem annis, componere incepit, quo melius mori disceret.

C

XVIII

plebeiis et imbecillioribus maxima cernitur, meliori tamen hominum adulatorum parti non omnino deest. Quin in ipsis brutis animantibus eius species et imago quaedam exsplendescit. Inde fit, ut hoc utar, ut pueri tempore belli inter se digladiantur, ut seditiosi homines plebeculam in suas partes facile trahant, ut aues cantrices cantilenam aliquoties auditam canturire gestiant; inde porro tot Ciceronem imitantium scholae, tot philosophantium sectae, tot falsarum religionum late sparsa semina. Sed quid multis exemplis aliunde repetitis opus est, si haec ipsa vox humana instar omnium esse potest? Nonne enim nos, quotquot sumus omnes, viri quidem essemus at infantes viri, nisi illa, animo connata, ad imitandum pronitas, quemque nostram fari docuisset? Illo igitur imitandi aemulandique studio compulsus **QVELMALZIVS**, et aui **SAMVELIS** atque patru **CHRISTIANI SAMVELIS**, medicinae Doctoris et tunc temporis **Poliatri Fribergensis**, exempla praeclara intuitus secutusque, artis salutaris studio se totum quidem suaque omnia deuouerat, attamen non more eorum, quibus nihil cordi est, nisi qui viderentur didicisse, quam deinde exercerent, lucrosam artem, sed more magnorum hominum, magnarum rerum fiduciam habentium, et altius quaedam agitare conantium. Non enim tantum modo sine subtiliore rerum naturalium cognitione mancam debilemque artem esse, sed hoc etiam recte nouerat, illas, quas praeparantes dixeris, disciplinas eo acrius diligentiusque sibi esse perdiscendas, quo magis requi-

requirere diligentioſer earum tractationem videretur ingenii ipſius indoles atque natura. Nimirum cum optima ingenia celeritate cogitandi et impatientia quadam iuſto citius ad alia feſtinent, antequam priſtina probe et ab omni parte conſiderauerunt; fieri ſolet, vt in rebus difficilibus atque perplexis pertractandis facile negligant non negligenda, aut in colligendo concludendoque ſeſe turpiter dent, aut res perplexas magis etiam perplexe et conſuſe proponant. Vitiis his optime mederi indefeſſum philoſophiae et geometriae ſtudium, cum bene intellexiſſet QVELMALZIVS, non ſolum philoſophorum, Rüdigeri et vtriuſque Mülleriſcholas frequentauit, ſed mathemata quoque, ipſasque artes, ſubtiles illas, Algebram et Geneathliacen, Duce Iunio, mathematico Regio, non tantum attigit, et primoribus, vt aiunt, labris deguſtauit, ſed diu et ſedulo et cupide perdidicit, totoque animo hauſit. Quae ſane ſtudiorum ratio ſicut generatim in omnibus, qui eam prudenter ingrediuntur, vehementer laudanda, ita ſeorſim tantoque magis in QVELMALZIO ſuſpicienda eſt, quanto magis a ſtudiis illis ſeuerioribus, quae mentem quodam modo ſiccant et ſobriam reddunt, abhorrere, ipſamque ſibi maxime neceſſariam medelam ſaſtidire ſolent ingenia nimis redundantia. Inde Vobis, Commilitones Humaniſſimi, ſumatis exemplum, quod imitemini, neque ſequamini illos, non indoctos quidem, ſed tamen non optimos nec ſatis cautos duces, qui, cum id haud obſcure agant, vt ſtudiorum illorum amorem, quo iam proh dolor! nimis pau-

ci ducuntur, prorsus in animis vestris extinguant, sapiendo faciunt, vt nihil sapere incipiant.

Consilii enim tam sapientis fructum haud poenitendum tulit **QVELMALZIVS**, quippe qui, animo ita bene praeparato, medicae artis disciplinas aggressus, breui tempore miros in arte progressus fecit, praeceptoribus, **Riuino**, **Ettmüllero**, **Schachero**, omnibus magni nominis quondam professoribus, carissimus gratissimusque fuit discipulus, tantamque nominis celebritatem adeptus est, vt eius fama prius etiam, quam Doctoris titulo auctus ornatusque esset, ad regiones longissime distitas propagata, honores ipsi pararet amplissimos. Quanquam enim in omnes medicinae partes studiose operam dedit; illa tamen ad aemulandum procliuitas, quae, propositis exemplis gentilibus, animum ad excolendam artem salutarem pepulerat, effecit, vt ars chemica, qua metallorum excoctionem spectat, in ciuitate patria diligentius subtiliusque culta, illecebris suis pelliciendo **QVELMALZIVM** paulo fortius quam ceterae artes ad se omnemque chemicam artem protrahere, sibi que amatorem, nec pernicem amata relinquere, nec frigide aut remisse amantem, adiungere posset. Naturam nil sine magno labore dare mortalibus, non ignorauerat nouus chemiae cultor. Qua de re artem laboriosam tanto coluit impensius, quanto maiori nitore atque splendore aspectus omnium praefringunt aurei montes illi, quos, tanquam pretium ob labores sumtusque in artem insuntos, cultoribus satis fidelibus

delibus pollicentur Alchemistae, arcanae artis arcani filii. Aureos illos montes pretiosumque illum philosophorum lapidem quanquam non inuenit QVELMALZIVS, non frustra tamen quaesivit, sed in secreto itinere, fallentisque semita artis, tantam arcanorum adeptus est peritiam, ut summis per ignem philosophis, si voluisset, palmam praeripere potuisset; indeque gloriam, quae ex omnibus praemiis virtutis amplissimum praemium est, tantam consecutus est, ut ipse, adhucdum iuuenis, ad obeundam Chemiae professionem in celeberrima scientiarum Academia Petropolitana, oblato largissimo salario annuo, inuitaretur; cuius tamen praemii, amplissimi licet, desiderium vicit, et, quo minus tam honorificae inuitationi obsequeretur, obstitit summus, quo in dulcissimam patriam affectus erat, amor.

Verissimum est, Auditores, illud, quod dixit M. T. Cicero: Honos alis artes, omnesque incenduntur ad studia gloria, iacentque ea semper, quae apud quosque improbantur. Nam QVELMALZIVS, qui haecenus propemodum nimis modeste de se suisque senserat, nec bona sua norat, tanta sui existimatione excitatus, ad summos, quos et philosophia et ars medica largiuntur, honores adspiravit, et illos ab ordine Philosophorum Wittebergenfium hos a nostro Ordine huius seculi anno tertio et vicesimo iure meritoque impetrauit. Quos quidem non ad inanem ostentationem, ut multi solent, sed propterea modeste petierat, ut Academiae huic nostrae scri-

bendo docendoque profuturus esset. Illis enim eruditionis testimoniis exornatus, studiosae iuuentuti scholas aperuit, nostramque Musarum sedem ita illustravit, ipseque in tantum inclaruit, ut Viris Illustribus, quibus Academiae cura a Potentissimo Rege tunc temporis demandata erat, sat cito innotesceret, dignusque existimaretur, qui anno huius seculi sexto et vicesimo, muneri Anatomien et chirurgiam publice, quanquam extra ordinem, docendi praeponeretur. Spartam, quam nactus erat, hanc non solum ornauit, sed Illustris etiam Waltheri, Archiatri Regii, et tunc Anatomies et Chirurgiae professoris ordinarii, muneri vicarius successit, eodemque propter vacillantem valetudinem Serenissimae Reginae haud raro diu absente, Anatomien in Theatro publico administrauit, magnoque applausu docuit.

M Tum haec tum alia quoque, quae ex muneris delegati ratione perficienda erant, quoniam singulari industria et dexteritate peragebat, illud: non temere diligens virtutis studium fructus fortunae fallit, verum esse, experimentis in se ipso deprehendit. Nam post humanissimi Schacheri obitum anno seculi tricesimo septimo professio physiologiae ordinaria, postquam Illustris Waltherus anno huius seculi septimo et quadragesimo miseram vitam cum diu exoptata morte commutauerat, professio anatomies et chirurgiae ordinaria, post Illustris Platneri fata celerrima anno proxime insecuto professio pathologiae ordinaria, et tandem Magnifici Hebenstreitii discessu

fu

su vacuefacta therapiae professio vna cum dignitate Decani Ordinis nostri, nouem proh dolor! ante obitum supremaque funera diebus, a Potentissimo Rege, Patriae Patre longe Clementissimo, demandatae, fatis superque docent, nihil tam arduum, nihil tam illustre esse, quod diligentia, industria et solertia non possimus consequi, et nostrum quemque admonent, vt alienarum laudum vestigiis firmiter et impigre insistamus, certissime persuasi, praemia virtuti nunquam non fore praeposita.

Sicuti vero **QVELMALZIVS** et grauissimis illis muneribus, et cuicumque officio ex Academiae nostrae ratione praepositus, omnia pertinaci studio magnaue fide egit et administrauit; ita, cum artem salutarem exerce- ret, ingeniosus et solers, indefessus, benignus, gratio- sus, promptus et felix fuit. Felicem autem medicum dum praedico, non eum animo comprehensum habeo, qui, cum omnem lapidem moueat, vt famosam illam felicitatem siue fortunam medici consecutus esse videatur, cuncta ita agit, vt Thessali aemulum quisque possit agnos- cere, nam istius modi medicum ego potius omnium mortalium infelicissimum miserrimumque iudicarem;*) sed talem indico atque desidero, qui Vobis, Collegae Honoratissimi, similis sit, ac singulari ingenii felicitate a natu-

*) Thessali aemulos variasque artes, quibus famam et gratiam aucupantur, facete et eleganter depinxit elegantissimus quon- dam Platnerus noster in Oratione prima et secunda.

XXIV

a natura donatus, nihilque negligere, nihil temere, omnia serio agere cum Hippocrate solitus, fortunam in potestate habeat, stabilique gaudeat felicitate ac perfruatur.

Ingeniosissimum solertemque medicum fuisse **QV E L M A L Z I V M**, omnes, quibus singularem eius in arte exercenda solertiam propius contueri datum fuit, vno ore confitentur non solum, sed tot etiam tamque eximia scripta aliis probant semperque probabunt. Haec utinam omnia et singula percurrere liceret! Quod vero quoniam fieri non posse, sed patientiae Vestrae, Auditores, temporisque rationem haberi debere sentio; ad Vestram provocando conscientiam, breuiter strictimque ac fidenter assero, scriptis illis contineri rariores obseruationes eademque valde vtilis, singulares nouasque medendi vias, consilia ad communem vtilitatem spectantia, cogitata subtiliorem spirantia rerum chemicarum earundemque reconditarum doctrinam, denique, vt paucis multa complectar, eam rerum ad artem salutarem pertinentium scientiam, quae consummatum artis professorem arguat. Ac profecto etiam si aliud nullum praestantissimi ingenii monumentum nobis reliquisset; illud, quod de nouo sanitatis praesidio ex equitatione, machinae beneficio instituenda, extruxit, et in publico exposuit, iam satis eius esset testimonium. Praeclarum hoc inuentum non solum nostris ciuibus magnam attulit vtilitatem, suoque Auctori apud permultos gratiam peperit ingentem; sed in extremis quoque Italiae oris et ingeniosissimi Inuentoris et
Acade-

Academiae nostrae nomen illustre reddidit, cum ob spectatae fidei experimenta, de phthificis ibi locorum capta, dignum iudicatum sit, quod in linguam Italicam prope ad verbum transferretur, translatumque promptum in auxilium phthificos aliorumque morborum medicis et aegrotis per vniuersam Italiam nosceretur exponereturque. A medicis etiam apud Venetos clarissimis ad *QVELMALZIVM* de inuento illo nobilissimo datas litteras magna cum animi voluptate ego legi. Pegaso igitur suo, ita enim ipse vocauit, ad astra vectus *QVELMALZIVS* aeternum inuenietur inter inuentores; quod nomen quam dulce sit doctis hominibus, quam carum, quam vehementer expetitur, tot bella erudita, tot iurgia; tot de lana caprina rixae, pene plus quam satis est, docent. At non solus *QVELMALZII* equus de ingenio sui genitoris nunquam non testabitur, eiusque nomen ab obliuione vindicabit, verum alia quoque ab eo vtiliter inuenta gloriam Inuentoris et conseruabunt et augebunt. Cadmiam fornacum ad phosphoros referendam esse, primus docuit, varia instrumenta chemica correxit, nonnulla praeparationum chemico-pharmaceuticarum compendia, ab ipso excogitata, experimentis confirmauit.

Magna in gratia fuit apud omnes, in cunctos, et pauperes quidem maxime, benignus, quibus quippe eius ope indigentibus, eandemque implorantibus, et gratuito opitulatus est, et medicinas, nullo accepto pretio, dedit saluberrimas. Artem impigre exercuisse *QVELMALZIVM*, funus ipsum loquitur. Quis enim nescit, quam
 D faeua

faeva in ipsos medicos clade erumperet lues dira illa, quae ante huuc ipsum annum omnes carissimae vrbis angulos telis pestiferis metuque terribili compleuerat. Tot vndique medentes vrgentibus fatis abrepti non deterruere Virum, ad laborem et subeunda pericula natum. Omnia intrepide egit, viresque veneno letifero, venis iam concepto, fractas, aliis inseruieudo ita attriuit, et fere consumsit, vt reliquiae, tam faeuo morbo superando impares, fato succumberent. Multo magis vero, cum firma frueretur valetudine, laborum patientem et impigram se praebuit; quandoquidem tot quotidie aegris opem salutemque attulit, quot, Auctore Celso, ab vno medico vix ac ne vix quidem ad sanitatem perduci possunt.

Tanta viri merita non potuerunt non aequis rerum arbitris valde probari. Quam ob rem a tribus clarissimis Germaniae nostrae ciuitatibus ad suscipiendum poliatri munus, oblatis amplissimis stipendiis, euocatus est, serenissimo autem Germaniae Principi cuidam ita placuit, vt praemium exquisitissimum proponeret, quo medicum tam doctum, tam peritum, tam felicem ad gerendam curam suae valetudinis inuitaret. Patria tamen semper omni auro carior fuit QVELMALZIO. *)

Verum si omnia ac singula, quae de eius meritis dici cum laude possunt, persequi deberem, non dicendi materia deficeret, sed verba indifertum Oratorem sat cito desererent. Quam ob causam et quoniam otio Vestro,

*) Anglos quoque QVELMALZII amorem in patriam aliquando promisso amplo stipendio tentasse, dicta iam oratione, retulit quidam de Collegis coniunctissimis.

stro, Auditores, abuti haud decet, quae supersunt dicenda, quam quidem possum breuiter, perstringam. In docendo QVELMALZIVS erat suavis, copiosus, subtilis, apertus, fidelis, assiduus. In omni reliqua vita honestus, humanus, officiosus, grauis ac simul comis, prudens, sagax, lenis, iniuriarum patiens, nemini inuidens, aequus ingeniorum aestimator. Omnes artes siue ad usum vitae, siue ad oblectationem necessarias, aequè amabat, vt variis etiam instrumentis musicis caneret, neque inscienter. Omnis libidinis osor acerrimus, vitam egit caelibem sic, vt impurissimos spurcissimosque corruptissimi seculi homines spectatissimae castitatis exemplo doceret. Pueritia eius cum incidisset in tempus illud, quo delicate et molliter viuere turpissimum erat, neque, vt nunc fere solent, omnes luxuria diffuebant; a parentibus pietatis et frugalitatis studiosissimis paulo strictius et frugalius alitus, hinc parce, continenter, seuerè sobrieque viuere a teneris, vt aiunt, vnguiculis adsuetus, eum viuendi morem in vita sua seruauit. Id quod et ipsi et aegrotantibus magno bono fuit; suo enim modo et moribus viuens, cum animo tum corpore nunquam non valebat, semperque fronte serena incedens, vitam agebat iucundam, laetam hilaremque, atque omnibus molestiis, medico subeundis tolerandisque, par, sobria mente aegrotis recta consilia dabat. Quem vero Academia nostra inde tulerit, fructum protinus videbimus.

Nostis, Auditores, apud Romanos olim prouerbiū locum obtinuisse: hominem frugi omnia rectè facere.

XXVIII

Hoc, si quis alius bene, QVELMALZIVS optime profecto docet. Morbo enim, de quo paulo antea dixi, correptus, corporis curam Venerabili Seni, Seilero, diuturno artis vsu exercitatissimo, in consilium quoque vocatis Collegis coniunctissimis, committit quidem, at furentem violentumque morbi immedicabilis impetum fentiens, indeque breui futurum discessum ex vita praefagiens, de ordinandis supremis suis mature etiam ac recte cogitat, atque haeredem nuncupat IOANNEM GOTTLOB ATTENBERGERVM, quem honoris causa nomino, virum politissimum et non illiteratum, mercatorem apud nos prudentissimum, et Potentissimo Regi nostro a commerciorum consiliis, quo a prima pueritia familiariter ac fraterne vsus erat; non pietatis tamen erga Collegas nec beneficentiae aduersus pauperes obliuiscitur, sed Collegium Principale Maius, et Ordinem nostrum legatis ornat luculentis; studiosorum medicinae, viduarumque et orphanorum a professoribus et medicis relictorum paupertati, egenorum vero egestati, prospicit, praediumque rusticum, a pio auo acquisitum et relictum Gymnasio Fribergensi legat discipulus gratissimus; nunc mentem, a rebus humanis abductam, ad solas Diuinas dirigit, morbique dolores placide sedateque fert, et tandem extremum spiritum decenter edit. Talem virum ubique se praestitit QVELMALZIVS! Quis igitur Vestrum est, Rector Academiae Magnifice, Patroni, Collegae, Fautores Honoratissimi, cui non summis laudibus dignus et ingenti gratiarum actione prosequendus videatur

vir

vir tam praestans vbique, tam pius, tam beneficus, tam gratus denique? Imo vero non modo aeternum laudandus videbitur Vobis, sed a Vobis etiam ipsis, Viris Laudatissimis, quae demum vera erit laus et vera gloria. At sicuti laudabitis et gratissima memoria prosequemini *QVELMALZIVM*, tam bene de nobis omnibus promeritum; ita iacturam, quam in tanto viro vniuersa fecit Academia, etiam lugebitis Vestra humanitate digno luctu. Maxime tamen medicorum Ordo luget, quin plangit Caput et Decanum suum, peritiae et prudentiae consummatae virum, quo nec alius quisquam melius de Ordine nostro est promeritus, nec dignior fingi cogitatione potest. Vos autem, Suauissimi Commilitones, Ordinis nostri luctum et *QVELMALZII*, longo artis vsu praestantissimi, discessum dolebitis, eiusque virtutes sedulo contuituri, enitemini, mentemque illuc contendetis, vt, virtute duce, summa quaeque consequamini, quibus et in vita et post mortem cum Academicam tum vniuersam patriam ornare possitis. Quid autem ego? Lacrymis indulgeo, quibus leniam et diffundam dolorem magnum atque incredibilem, quem toties persentio, quoties refricatur vulnus insanabile, quod mihi inflixit *QVELMALZII* mei casus praeceps et acerbus. Vix enim affulget spes, fore, vt ego in Ordinem receptus, Decanum venerer omnium et humanissimum et mihi maxime colendum, ad cuius praesidium confugiam. Ah, Ah, *QVELMALZI*, euanescit omnis spes! Ne vero Te alta aeternaque pace nunc fruentem inquietare velle videar, Vale *QVELMALZI* ter quaterque beate, et aeternum salue!

INDICVLVS
SCRIPTORVM QVELMALZIANORVM.

- Disp. de *Magnete* pro Iuribus
Magistri Lipsiensis an. 1723.
- Med. inaugur. de *Diuina-*
tionibus medicis an. 1723.
- Prol. qua rationes quasdam,
quare operationes chirurgi-
cae, hic locorum non ita fre-
quentes sint, quam penes ex-
teros quosdam, affert, sub au-
spiciis muneris Prof. Extra-
ord. 1726.
- Disp. de *venis absorbentibus* pro
Loco, Resp. Swertnero 1732.
- Nouum *sanitatis praesidium ex*
equitatione machinae benefi-
cio instituenda latin. et ger-
man. Lipsiae 1735.
- Prol. de *artis medicae comple-*
mento, sub auspiciis muneris
Prof. physiol. Ord. 1737.
- Disp. de *pinguedine eiusque sede*
tam secundam quam praeter
naturam constitutis. Resp. I.
C. Hommeroch 1739.
- de *salibus salsis seu mediis.*
Resp. G. C. Hahn. 1741.
- de *adiumentis sanguinis ad*
cor regressus. Resp. A. Z.
Tropanneger 1741.
- Prol. de *salis communis necessi-*
tate 1743.
- Prol. de *homine electrico.* 1744.
- de *infuso picis liquidae a-*
quoso 1745.
- de *serotino testium descensu*
eorumque retractione. 1746.
- de *infuso foliorum Thee*
1747.
- de *miranda corporis forma-*
tione ex ouulo. 1748.
- de *depositionis cataractae*
effectibus. 1748.
- Disp. de *euacuationum critica-*
rum vicissitudine. Resp. I. G.
Thilo 1748.
- de *Liene.* Resp. I. C. Hani-
ke 1748.
- Prol. de *arteriae pulmonalis*
motu singulari eiusque effi-
cacia.
- de *maniacis hydropotis* 1748.
- Disp. de *salubri morborum per-*
crises exitu Resp. I. C. He-
benstreit 1748.
- Prol. qua *hydrargyri vires a*
sulphure in corpore humano
suspensas expendit. 1748.
- de *ptyalismo febrili.* 1748.
- Disp. de *Conualescentium Cura*
Resp. I. F. Knicker. 1749.
- Prol. de *frictione abdominis*
1749.
- Prol. de

Prol. de *Ileo ex hernia, eaque demum cum intestino suppurata* 1750.

-- de *narium earumque septi incuruatione.* 1750.

-- de *oleo palmae materia iniectionibus anatomicis aptissima* 1750.

-- de *haemorrhagia auris sinistrae.* 1750.

-- de *coecitate infantum, fluoris albi materni eiusque virulenti pedissequa.* 1750.

Gottfried Rothens gründliche Anleitung zur Chymie &c. vermehrt von D. Sam. Theod. Quaelmalz. Leipzig 1750. Liber perutilis propediem tertium describetur.

-- de *effectibus caloris aestiui feruidioris* 1750.

-- de *clymatibus frigidis* 1751.

Disp. de *potu, morborum cura* Resp. F. G. Hiebner. 1751.

Prol. de *obturatione meatus auditorii inprimis a polypo* 1752.

-- de *epidemica mentis alienatione* 1752.

-- de *linctu oculorum collyrio* 1753.

-- de *viribus electricis medicis* 1753.

-- de *vinis mangonifatis* 1753.

Prol. de *vasis aeneis coquinae famulantibus* 1753.

-- de *delirio ex lactatu* 1754.

-- de *musculorum capitis extensorum paralyfi* 1754.

-- de *frigoris acrioris in humanum corpus effectibus* 1755.

-- *Vtrum arsenicum sit primum principium metallorum* 1755.

-- de *uteri ruptura* 1756.

-- de *pane succedaneo corticeque tiliae interiori* 1757.

-- de *exhalationum putridarum, ex cadaueribus bello trucidatorum suppressione.* 1757.

-- de *copiosa sabuli atque calculorum per aluum excretionem* 1757.

Commercio Litterario Norimbergensi inseri curavit.

Vol. V.

Obs. de *usu auri fulminantis* p. 306.

-- de *Cadmia fornacum phosphorascens* p. 361.

-- de *spiritu ignem producente* p. 362.

Vol. VI.

Obs. de *succino artificiali* p. 66.

Obs. de

- Obs. de glandula thyroidea scirrhusa, in integrum restituta p. 193.
- de medicamentorum quorundam viribus quandoque contrariis p. 195.
- de monstro vitulino cum capite hominem referente. p. 196.
- de unicornu marino ex vicinia Bremensi Lipsiam delato. p. 171.
- Observata in sectionibus corporum frigoris vi oppressorum p. 173.
- Vol. VII.
- Obs. de rara epidermidis a tota corporis superficie secessione p. 149.
- de magno ossium frontis infantis hiatu. p. 195.
- Obs. de mira capitis et colli a paralyfi inducta curuatura. p. 196.
- de divinis arsenici albi viribus p. 218.
- Vol. IX.
- Relatio de fonte medicato Lipsiensi p. 313.
- Relatio de singulari qualitate aquae, terram argillaceam participantis p. 323.
- Vol. X.
- Obs. de mira conformatione genitalium viri, pro impotente habiti p. 129.
- de mira vermium multitudine per nasi ulcus excreta, enormis cephalalgiae causa p. 131.

Praeter illa scripsit, de eo, quod Reges ac Principes haud dedecori habuerint, anatomen colere, item de ordine, quem natura in partium internarum situ observat; nec non, de herniis; quae sunt proclusiones paruulae, quibus sectiones anatomicas publice administrandas indixit, cum esset Walthero datus vicarius. Dissertationes de *spasmo Vesicae*, de *Scorbuto*, de *noxa ex exercitiis nimis in corpus humanum redundante*, etc. ab ipso scriptae, aliorum nomina in fronte gerunt. At illa de *balneorum aquae simplicis usu diaetetico*, 1744. defensa. Auctorem agnoscit Respondentem I. G. Waltherum; sicut et ea de *Prosoposcopia medica*, quam Experientissimus ACKERMANNVS, Nostras, a. 1748. sub QVELMALZII Praesidio defendit, ACKERMANNO ipsi tribui debet.



